

dus, primo petere a Ludovico cœperunt, vellet pro sua fide atque justitia fratris sui filio non adulto modo atque firmo, sed etiam plane jam viro, atque adeo duorum filiorum patri, aliquando tandem regnum tradere, siue illum imperii, fuarum rerum compotem facere. Ea postulatio cum saepius interposita nihil profuisset, gravioribus apud illum expostulationibus & querelis non semel egerunt: postremo eo rem deduxerunt, ut dicerent, se esse illum bello persecuturos, ni Joanni Galeatio, qui cum affinitatem, uti cum rege, contraxissent, regiam potestatem remitteret. Horum ille regum minas atque potentiam veritus, ne tam amplæ civitatis principatum atque imperium ulli tradere cogeretur, quod suum unius efficere in animo magnopere habebat, filiisque suis relinquare, cum intelligeret Galliæ regibus in regnum Neapolitanum jus esse, celatis ea de re Alexandro Venetisque quibus cum paulo ante fœdus percusserat, ad speciem salutandi regis, legationem maxime celebrem ad Carolum misit, hortatum, ut id bellum fusciperet, suasque illi opes, copiasque pollicetur: facillimum factu esse, modo Alpes trajiceret, atque in Italiam se ostenderet, eo regno potiri. Ea tanti hominis hortatio apud Carolum momenti plurimum habuit. Altera fuit ejus rei causa in Antonio, qui Salernum a majoribus suis traditum obtinuerat. Is cum ob Ferdinandi regis inimicum in se se animum sedibus patriis excessisset, seque in Galliam ad Carolum contulisset, prope quotidiani eum sermonibus admonebat, ut tam propriam regni opulentissimi capiendi oblatam sibi a diis immortalibus facultatem, ne prætermitteret. Ferdinandum hominem esse avarum, crudellem, nulla fide, nulla justitia: omnes ejus regni principes, omnes populos illum odiisse: nullius esse negotii rem, eum regno expellere, præsertim Galliæ regibus, quorum nomen atque auctoritas illis in regionibus maxime omnium tum vigeret, fueritque semper plurimi. Alexander etiam Pontifex Maximus moleste ferens Virginium Ursinum ejus familiæ principem, ausum esse a Francisco Cibo